Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



dulcissime canentes ab omnibus sunt auditæ, atque
super templum, in quo sacrum corpus jacebat,
pulcherrima lux ex quinque splendidissimis stellis
composita apparuit. Et tandem, cum ad eius tumu-
lum crebra patrarentur miracula, hac die fuit in
Sanctorum numero relatus, et Officio Ecclesiastico
ab universa Observantia Regulari colitur. Saus-
sajus in Martyrologio Gallicano ad 28 Martii: Item
eo die depositio S. Stephani, tertii Abbatis Cisterciensis,
viri conspicuæ sanctitatis omniumque virtutum gratia de-
corati: qui sanctæ paupertatis æmulator ferventissimus,
eremi amator cupidissimus, feliciter exacta religiosæ pro-
fessionis militiæ, postquam multos in Christi castra tirun-
culos, et in his aliorum ducem S. Bernardum tran-
scripsisset, ovans ad supernæ gloriæ evocatus est bravium:
cujus beata memoria sacris Ecclesiæ tabulis inscripta, ful-
get inter Sanctorum Natalitia insignis, decimo quinto
Kalendas Maji.

64) Guillelmus Malmesburiensis gest. RR. Angl.

65) Exordium magnum Dist. 1, C. 28.

66) Exordium magnum Dist. 1, C. 32. Epitaphium
communiter ipsi et ejus antecessori Albericco, et successo-
ribus Rainaldo etc. inscriptum sarcophago ad in-
gressum Ecclesiæ Cisterciensis versus claustrum capituli
posito, est sequens:

Sancti et venerabiles Patres, Abbates monasterii
et Ordinis Cisterciensis fundatores et amplificatores,
hic simul reconditi sunt, D. Albericus, D. Stephanus,
D. Raynardus, D. Gozowinus, D. Fastradus etc.
quorum felices animæ, omnipotenti Deo viventes,
nostri semper memores existant. F

Festum hujus sanctissimi Fundatoris nostri ~~die~~ ab anno 1623
~~quo anno primum, mihi non constat)~~ celebratum ~~est~~
die 17 Aprilis sub ritu majori duarum Missarum, us-
que ad annum ~~1724~~ 1683: quo Capitulum generale
festum transtulit ad 16 Julii, celebrandum porro sub
ritu sermonis majoris (æquivalet duplici primæ classis)
cum Octava solenni. Cui festo Innocentius XI anne-